

Antiochenum, et lib. 1. de compunctione cordis, extremo. S. Hieronymus in lib. in. advers. Pelagianos, bis repetit, nostrum esse velle, Dei autem, ut impleamus quod volumus.

Respondeo : S. Joannes Chrysostomus non ita quidem aperte gratiam prævenientem prædicat, quoniam eo tempore nondum exorti fuerant, qui eam negarent; sed tamen neque eam negat, si verba ejus sano modo accipiantur. Itaque nonnumquam Deo tribuit ea, quæ solus ipse facit, nobis autem tribuit ea, quæ nos cum Deo facimus. Et hoc modo loquitur de Abrahamo, cui Deus solus præstitit magna illa dona, ut esset pater multarum gentium; et ut in semine ejus benedicerentur omnes gentes : sed non hæc præstitit Deus, nisi posteaquam Abraham se in virtutum stadio diu exercuit, quod quidem opus ipsius Abraham fuit, et illi jure meritoque tribuitur, licet non sine Dei ope, bona illa opera fecerit. Similiter explicanda sunt, quæ habentur homil. 17. in Joannem, et in priore de compunctione cordis.

Nonnumquam vero dicit, non præveniri nos a Deo per modum determinantis ad unum, et necessitatem adferentis, ita ut tollatur libertas arbitrii. Id quod sæpe ac libenter Chrysostomus repetit, tum propter Manichæos, qui negabant liberum arbitrium, tum etiam ad negligentiam et desidiam hominum discutiendam, ne ita se putarent a Deo præveniendos esse, ut nihil sibi relinquere agendum.

Sanctus autem Hieronymus dicit, nostrum esse velle, Dei vero implere quod volumus, non quod nostrum sit velle sine gratia Dei, sed quod nos possimus multa velle cum adjutorio gratiæ, quæ tamen cum eodem adjutorio non valemus implere, sed Dei solius sit efficere, ut aliquando illa quæ volumus impleamus. Ex. gr. volumus sine omni peccato vivere, et nullum omnino rebellem motum partis inferioris sentire; sed non possumus hæc implere, etiamsi adjutorium illud non desit, per quod velle ista potuimus; sed cum Apostolo dicere cogimur : *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*, Roman. VII (4). Tamen dabit aliquando Deus, ut hoc quod volumus impleamus, quando sanaverit omnes languores nostros, et ea, quam expectamus, advenerit redemptio corporis nostri.

Non voluisse autem S. Hieronymum sig-

(4) Rom. VII, 18.

nificare, nostrum esse velle, sine gratia Dei, perspicuum est ex epist. ad Ctesiphontem, ubi sic loquitur idem Hieronymus : « Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus; Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere ».

Tertio objici potest illud commune scholarum : facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Hinc enim sequitur, ut si quis faciat quod potest solis naturæ viribus, is hoc ipso disponatur ad gratiam, aut certe ad auxilium speciale, per quod deinde præparetur ad gratiam.

Respondeo, dictum illud commune scholarum, recte exponitur a S. Thoma in 1. 2. quæst. 109. art. 6. ad 2. et quæst. 112. art. 3. ad 1. et a S. Bonaventura in 2. sentent. dist. 28. art. 2. quæst. 1. qui docent, tunc facienti quod in se est non denegari gratiam, cum homo facit quod in se est, cooperando gratiæ Dei, a qua movetur. Nam ei, qui facit quod in se est ex solis naturæ viribus, non debetur gratia, sed pœna, non quidem pro eo quod facit ex solis viribus naturæ; sed quoniam pro uno aut altero bono opere morali, quod fortasse faciet, plurima peccata lethalia sine dubitatione committet.

Sane qui docent, hominem faciendo, quod in se est, solis naturæ viribus ad gratiam præparari, aut opinantur, eum suis viribus posse desiderare et petere a Deo gratiam, et hæc est hæresis Pelagiana, ut ex Concilio Arausicano, aliisque testimoniis supra citatis probatum est; aut certe existimant, posse hominem servare propriis viribus omnia præcepta moralia, et innocentem vitam agere secundum rationem, et hæc sanctitate morali provocare Deum ad auxilium speciale sibi donandum, quo tandem ad fidem, gratiamque perveniat; sed hæc quoque est hæresis Pelagiana in libro superiore satis superque refutata. Ut omittam, nullum ejusmodi hominem ex historiis posse monstrari. Catones enim, Socrates, alique horum similes, qui inter ethnicos sanctissimi judicati sunt, multis vitiis coopertos fuisse, facile demonstrari posset.

Quarto, posset objici exemplum Cornelii Centurionis, qui quoniam eleemosynas faciebat, impetrare meruit a Deo, ut ad se instituendum in fide Christiana Petrus Apostolus mitteretur.

Respondeo : Cornelius antequam fidem Christianam audiret, non erat omnino infidelis, sed unum Deum noverat, eumque religiose colebat, ut in Actis cap. 10. S. Lucas scribit. Proinde ex fide orabat, et auxilio Dei eleemosynas faciebat. Sed etiamsi infidelis fuisset, tamen illa bona opera non sine dono Dei fecisset, ut S. Augustinus docet, in lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 7.

Quinta objectio : opera bona moralia, quæ possunt fieri solis naturæ viribus, non sunt peccata, ergo qui facit bonum opus morale non ponit novum impedimentum gratiæ, quod poneret, si bonum illud opus non faceret, ergo vicinior est salutem, quam si non fecisset bonum illud opus, ergo magis dispositus.

Respondeo : bona opera moralia, quæ fiunt a peccatore, non faciunt hominem magis indispositum ad gratiam, cum novum impedimentum non addant; tamen non disponunt, cum nullum habeant ordinem, aut relationem ad gratiam. Quocirca Deus interdum majores peccatores, interdum minores, auxilio speciali magis et citius adjuvat.

Sexta objectio : potest homo suis solis viribus timere pœnas gehennæ; naturale enim timere malum; poterit igitur metu pœnæ futuræ dolere de peccato, qui dolor a theologis attritio dicitur : atqui ejusmodi dolor est dispositio ad gratiam, et accedente Sacramento justificat : igitur potest homo suis solis viribus ad gratiam se præparare. Et confirmatur, quoniam sine dubio potest homo sine ulla speciali gratia Dei dolere de offensa amici, cur igitur non possit etiam dolere de offensa Dei, præsertim si Christianus sit, et noverit summa Dei erga homines beneficia?

Respondeo : timor gehennæ si ordinatur ad peccatum detestandum et relinquendum, sine dubio donum est Dei, neque solis viribus naturæ haberi potest. Ipse enim est initium sapientiæ, et inter dona Spiritus sancti numeratur ab Isaia cap. XI. Multo etiam magis dolor, ac detestatio peccati cum desiderio purgationis, donum Dei est cum ad salutem pertineat. Et quamvis possit quis sine auxilio gratiæ detestari offensam amici, non tamen Dei, cujus ipse peccator non est amicus, sed inimicus. Denique novit quidem homo Christianus ex fide summa Dei in homines beneficia, non tamen movetur ad ea consideranda, et inde concipiendum odium

in peccata, et amorem in Deum nisi gratia illum divina præveniat. Tenetur enim somno, vel potius morte peccati, a qua non eum excitat, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT VII.

Non posse sine auxilio gratiæ diligere Deum.

Tertia restat sententia de dilectione Dei, quæ priusquam probetur, paucis explicanda est. Siquidem multiplex esse potest dilectionis acceptio, ac per hoc etiam multiplex quæstio.

Primum, accipi posset dilectio Dei vel pro actione voluntatis, vel pro quadam propensione ad Deum, ut finem ultimum et summum bonum, et de hac posteriore non quarimus hoc loco, sed tantum de priore. Nam pro comperto haberi existimamus, naturam voluntatis propensam esse ad bonum, ac per hoc ad Deum, ad quem facti sumus, fecit enim nos Deus ad se, et ideo inquietum est cor nostrum, donec requiescamus in ipso, ut S. Augustinus loquitur lib. 1. Confession. cap. 1.

Secundo, dilectio, quæ est actus voluntatis accipi potest, vel pro dilectione Dei, ut is est auctor naturæ, vel pro dilectione ejusdem, ut est donator felicitatis æternæ. Et hoc modo posteriore concedunt omnes Theologi, non posse diligere Deum sine gratia Dei, et fide præcedente; neque nos de hac re dubitamus.

Tertio, dilectio Dei, sive ut auctor bonorum naturalium, sive etiam supernaturalium, alia est perfecta, alia imperfecta : idque tribus modis. Alia enim est perfecta, quoniam est dilectio Dei super omnia, quæ videlicet Deum rebus omnibus anteponebat. Alia imperfecta, quoniam afficitur quidem erga Deum, sed nondum illum rebus cæteris præfert.

Rursus alia est perfecta, quia non solum Deum rebus omnibus præfert, sed majore ardore ac vehementia in illum afficitur, quam in ullam rem creatam, quæ dici solet dilectio super omnia, tam appetitive, quam intensive. Alia est imperfecta, quoniam æstimat quidem super omnia Deum, et mallet cætera omnia potius, quam illum perdere, ta-

men non ita vehementer, quod attinet ad intensionem, afficitur in Deum, ac in res creatas.

Alia denique est perfecta, quoniam non modo Deum super omnia diligit, unico aliquo actu voluntatis, dum eum cogitat summum esse, atque infinitum bonum, sed etiam perseverat in dilectione usque ad implementationem omnium mandatorum, quæ dicitur dilectio super omnia, quoad affectum et effectum. Alia est imperfecta, quoniam afficitur quidem in Deum super omnia, dum eum cogitat summum esse bonum, et nulla occurrit tentationis occasio, tamen occurrente objecto aliquo alliciente, facile deficit et extinguitur.

Nos igitur sententiam illam tertiam in ipso titulo capituli annotatam, ita intelligimus, ut existimemus, non posse Deum sine ope ipsius diligi, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ et gloriæ: neque perfecte, neque imperfecte ullo modo: atque hanc non dubitamus sententiam esse S. Augustini, imo etiam Scripturarum et Conciliorum, quicquid aliqui minus considerate in hac parte scripserint.

Primum igitur, Scriptura divina passim testatur, dilectionem esse donum Dei. Rom. v: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (1). I Joan. iv: *Charitas ex Deo est*. Ephes. vi: *Pax fratribus; et charitas cum fide a Deo patre*. Ad Galat. v: *Fructus spiritus est charitas, audium, etc.* (1).

Dicent fortasse, hæc intelligi solum de amore Dei, ut est auctor bonorum supernaturalium. At scriptura nusquam ita restringit dilectionis donum, sed absolute pronunciat, charitatem Dei ex Deo esse, et per spiritum nobis dari: auctor autem bonorum omnium naturalium vere, ac proprie Deus est; cur igitur ejus dilectio non sit ex Deo, et Spiritus sancti donum?

Præterea qui diligit Deum, ut auctorem naturæ, et proximum propter Deum, certe implet totam legem naturalem. Nam plenitudo legis est dilectio. Qui vero totam legem naturalem implet, in eo sine dubio charitas illa est, quam Scripturæ nobis commendant. Nam B. Paulus cum scribit ad Rom. cap. 13. *Qui diligit, legem implevit* (2), de lege naturæ loquitur, ut perspicuum est ex verbis

(1) Rom. V, 5; I Joan. IV, 7; Eph. VI, 23; Gal. V, 22. — (2) Rom. XIII, 8. — (3) Joan. XIV, 21, 23; ibid. XV, 41, 42; I Joan. II, 4; ibid. IV, 17.

illis: *Non occides etc.* Et illæ conditiones veræ charitatis, quæ describuntur, I Corinth. XIII. *Charitas patiens est, benigna, etc.* Sine dubio dilectioni illi conveniunt, quæ diligitur super omnia Deus, ut auctor naturæ.

Denique, qui diligit Deum, ut auctorem naturæ, certe proximam diligere potest, et re ipsa diligit, sicut se ipsum. At, inquit Dominus, Joannis cap. XIV: *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me*. Et infra: *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et qui non diligit me, sermones meos non servat*. Quæ sint autem sua præcepta explicat in cap. XV. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*. Et in infra: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Itaque vera charitas Dei est in eo, qui diligit proximum. Imo etiam perfecta charitas. Nam ut scribit Joannes in I. epist. cap. II. *Qui servat verbum ejus, in hoc vere charitas Dei perfecta est* (1). Et cap. IV. *Si diligamus invicem, charitas Dei in nobis perfecta est* (3). Habemus igitur Scripturas, quæ docent charitatem esse donum Dei, intelligi debere de illa etiam dilectione, quæ fertur in Deum, ut auctorem naturæ.

Dicent rursus, eas Scripturas non loqui de quacumque dilectione Dei, sed de illa tantum, quæ nascitur ex habitu infuso; eamque solam proprie esse donum Dei, et naturæ viribus haberi non posse. At Pelagius non docebat dilectionem, quæ nascitur ex habitu infuso, viribus naturæ haberi posse, et tamen Augustinus, aliique Patres, Scripturas a nobis allegatas adducebant contra Pelagianos, qui contendebant, Deum diligi posse sine auxilio gratiæ.

Præterea Scriptura divina non solum prædicat, dilectionem esse donum Dei, sed etiam præcipit, ut diligamus Deum; at certe non præcipit, ut diligamus ex habitu infuso, quem habere, non est in nostra potestate, sed ut diligamus Deum ex toto corde; quemadmodum etiam cum præcipit Deus, ut iuste, sobrieque vivamus, non imperat, ut ista faciamus ex habitu, sed tantum ut faciamus. Leges enim de actibus dantur, non de habitibus. Igitur dilectio, quæ secundum Scripturas est donum Dei, non est solum habitus infusus, aut actio ex habitu illo scaturiens, sed quæcumque actio, qua diligimus Deum.

Dicent fortasse postremo, Scripturas a nobis productas, non posse intelligi de dilectione imperfecta, qua non diligitur Deus super omnia, et toto corde, sed solum de perfecta. At id quidem verum est, quoniam dilectio imperfecta, qua Deus non antefertur omnibus rebus, non meretur nomen charitatis, neque implet legem, neque conveniunt illi enomia, quæ passim tribuuntur in divinis litteris charitati: tamen ex eisdem locis convincitur imperfecta illa dilectio, donum esse Dei, et ex solis naturæ viribus haberi non posse. Nam cujus rei perfectio est a Deo, ab illo etiam est inchoatio. Et sicut initium fidei supra probatum est, esse a Deo, quia fides a Deo est, ita quoque initium charitatis tribuendum est Deo, quia charitas ipsa est a Deo. « Nec initium ejus (inquit Augustinus lib. II. ad Bonifac. cap. 9.) ex nobis, et perfectio ejus ex Deo, sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est. Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in ejus donis nos priores faciamus, posteriorem ipsum, quoniam misericordia ejus præveniet me. »

Accedant secundo loco testimonia Conciliorum, Concilium Milevitanum, canone 4. « Utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus. » Concilium Arausicanum can. ult. « Prorsus donum Dei est diligere Deum. » Et ut intelligamus, non solum perfectam charitatem esse Dei donum, sed etiam imperfectam et inchoatam, subjungit, fidem et amorem Dei nobis primum inspirari, ut baptismum fideliter requiramus, et deinde quæ Deo sunt placita implere possimus. Ubi vides amorem Dei quemdam imperfectum non esse ex natura, sed a Deo inspirari, et per eum perducì hominem ad justificationis gratiam, et perfectam charitatem, per quam omnia mandata servantur, quod idem expressit clarius Tridentinum Concilium. Nam sessione 6. cap. 6, dicit, hominem a Deo motum et excitatum, atque eodem Domino adjuvante incipere diligere Deum. Deinde cap. 7. addit, in ipsa justificatione recipi charitatem infusam. Concilia igitur non solum charitatem perfectam, sed etiam inchoatam Dei donum esse definiunt.

Accedant tertio S. Augustini testimonia, in epistola 107. ad Vitalem: « Liberum, inquit, arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. » Ubi simpliciter actionem diligendi quamcum-

que, negat Augustinus solis liberi arbitrii viribus haberi posse. Idem in libro IV. in Julianum, cap. 3. « Amor, inquit, Dei, pro pervenitur ad Deum non est nisi a Deo. Per hunc amorem creatoris bene quisque utitur creaturis, sine hoc amore creatoris, nemo bene utitur creaturis. » Hic vides amorem creatoris, id est, auctoris naturæ, non esse nisi a Deo. Idem in libro de gratia et libero arbitrio cap. 17. « Et quis istam, quamvis parvam dare cœperat charitatem, nisi qui præparat voluntatem? » Et cap. 18. « Cur, inquit, dictum est, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo, nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde quod jubebatur implet. » En hic apertissime dicitur Dei donum imperfecta quædam dilectio, qua quis a Deo petit donum perfectæ charitatis, quo mandata valeat adimplere. Itaque merito in eodem loco idem Augustinus ait: « Si non ex Deo, sed ex hominibus est dilectio Dei et proximi, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. »

Vide etiam Prosperum in lib. contra Collatorem, cap. 30, ubi comparat naturam humanam omni gratia destitutam glaciali rigori, ex quo nihil omnino caloris exenti potest, nisi resolvi incipiat ab illo, qui dixit: *Ignem veni mittere in terram*.

Accedant ultimo rationes. Prima ratio. Amor Dei super omnia, etiamsi Deum solum respiciat, ut auctorem naturæ, non patitur secum ullum affectum inordinatum, imo includit odium rerum omnium delectabilium contra legem Dei, ergo si potest hic amor naturæ viribus obtineri, poterit homo naturæ viribus implere omnia mandata, vivere sine omni peccato, imo et a præteritis sine gratia Dei justificari. Nam implicat contradictionem, ut quis in peccato mortali sit, et non sit aversus a Deo, et conversus ad creaturas. Proinde vel per amorem illum Dei super omnia justificabitur a peccatis, vel certe simul erit aversus a Deo, et conversus ad Deum, aversus a creatura et conversus ad creaturam. At posse hominem solis naturæ viribus implere omnia mandata, vivere sine peccato, et a præteritis delictis justificari, manifesti sunt Pelagiani errores.

Secunda ratio. Dilectio Dei super omnia est ultima et maxima dispositio ad gratiam

remissionis peccatorum, ita ut non præcedat eam remissionem ullo spatio temporis, nam Deus diligentes se diligit. *Et qui diligit me* (inquit Dominus, Joan. cap. xiv.) *diligetur a Patre meo* (1). Et peccatrici remissa sunt peccata multa, *quoniam dilexit multum*, Lucæ cap. vii. Quare si posset homo suis viribus semper diligere Deum super omnia, posset sine ulla Dei gratia præveniente pertingere ad remissionem peccatorum. Quæ est ipsissima hæresis Pelagii ex Augustino in lib. i. ad Bonifacium cap. ult. Sed probemus etiam duabus aliis rationibus, non solum dilectionem Dei super omnia viribus naturæ haberi non posse, sed neque dilectionem non super omnia, id est, inchoatam et imperfectam.

Tertia ratio. Nullum opus pietatis fieri potest solis naturæ viribus, neque contrarium affirmari sine hæresis periculo, demonstratum est in quarto capite. At dilectio Dei, quamvis ut auctoris naturæ, et imperfecta atque inchoata opus est pietatis, ut S. Augustinus docet in epist. 29. ad Hieronymum, qui sic ait: « Pietas est cultus Dei, qui præcipue diligendo exhibetur. » Igitur omnis dilectio Dei eget auxilio gratiæ, ut haberi possit a nobis. Neque responderi potest, dilectionem illam solam esse pietatem, quæ fertur in Deum, ut auctorem beatitudinis. Nam etiam in puris naturalibus teneretur homo Deum colere, quamvis tunc nulla esset felicitatis æternæ promissio. Neque dubium est, quin pietatis cultus debeatur Deo, quia Deus est, id est, summum bonum, principium primum, et finis ultimus omnium rerum, quod certe illi conveniret, etiamsi supernaturalem beatitudinem largiri nemini voluisset.

Quarta ratio. Omnis dispositio ad justificationem ex dono Dei, et gratia illius præveniente oritur, ut satis probatum est in quinto capite. At quævis dilectio, quantumvis parva, et inchoata, est dispositio ad justificationem, cum sit conversio, vel certe conversionis initium; igitur sine dono Dei, et gratia illius præveniente haberi non potest. Neque vero necesse est, ut dilectio Dei feratur in Deum ut auctorem beatitudinis, ut dici possit conversio. Nam quemadmodum aversio a Deo, ut auctore naturæ, vera est aversio, ita conversio ad eundem, ut auctorem naturæ, est vera conversio.

(1) Joan XIV, 21.

CAPUT VIII.

Solvuntur argumenta contraria.

At contra objiciunt quidam has rationes. Prima ratio. Dilectio Dei super omnia est homini naturalis, nam inclinatur voluntas naturaliter ad bonum, et magis inclinatur ad majus bonum, et maxime ad maximum, proinde inclinatur super omnia ad summum bonum, quod est Deus: cur ergo non possit homo suis viribus diligere Deum super omnia, saltem ut auctorem naturæ, cum id sit maxime secundum ejus naturam?

Respondeo: dilectio Dei super omnia naturalis est, quod attinet ad inclinationem naturæ, quæ manet in homine per modum actus primi, neque est aliud, quam ipsa propensa ad bonum: tamen non potest in actum secundum prodire propter naturæ corruptiōnem, sine auxilio gratiæ Dei. Neque necesse est, ut ubicumque est inclinatio naturalis, sint etiam vires sufficientes per se ad actum illum perficiendum, ad quem natura propendet. Nam humana anima, a corpore separata, naturaliter propendet ad corpus, nec tamen suis viribus potest iterum cum corpore copulari: et juxta multorum sententiam naturaliter inclinatur mens hominis ad Deum videndum, nec tamen potest suis viribus Deum videre.

Secunda ratio. Amor Dei sive amicitia, sive concupiscentiæ, oritur ex amore sui. Nam (ut Philosophus docet) amabilia, quæ sunt ad alterum, oriuntur ex amabilibus, quæ sunt ad se. Itaque diligit homo Deum, amore concupiscentiæ, quia intelligit in ejus visione summum suum bonum positum esse: Diligit eundem amore amicitia, quia novit illum esse quasi alterum se, vel potius aliquid amplius, cum ipse sit quasi pars, et Deus quasi totum. At amor sui habetur sine auxilio gratiæ, igitur et amor Dei, qui (ut diximus) initium ducit ex amore sui.

Respondeo: amor Dei, ut auctoris naturæ, oritur ex amore sui, non quocumque sed ordinato, id est, quo quis amat se, ut partem, ut creaturam, ut figmentum Dei. Amor enim sui inordinatus, qui in sacris litteris cupiditas dicitur, non parit amorem, sed contemptum Dei, ut S. Augustinus docet in lib. 14.

de Civit. Dei cap. ult. facit enim amor sui inordinatus, se ipse quasi totum et principium, ac finem omnium rerum. Porro amor sui ordinatus non ex natura corrupta existit, sed inspiratur a Deo corrigente, atque sanante naturam. Itaque S. Joannes in i. epist. cap. iv. *Diligamus*, inquit, *invicem, quia charitas ex Deo est* (1). Ubi dilectionem proximi, ac per hoc etiam dilectionem sui ordinatam, ex qua nascitur dilectio proximi, dicit esse a Deo.

Tertia objectio. Naturalis ratio dicitur, Deum esse super omnia diligendum. Potest autem voluntas elicere actum conformem judicio rationis; nam alioqui necessario eligeret malum, vel actum suspenderet, ac per hoc vel esset necessario mala, vel certe non libera.

Respondeo, Deum esse super omnia diligendum, ratio dicitur universali quodam judicio, a quo sæpe voluntas recedit, juxta illud: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*. At judicium particulare, quod hic et nunc dicitur, Deum a me super omnia diligendum, non potest haberi sine auxilio gratiæ, quoniam pendet ex inclinatione voluntatis, et ad salutem, et pietatem perfinet. Quod autem non possit homo, sine gratiæ adjutorio, velle diligere Deum super omnia, licet universale judicium dicitur, ita esse faciendum, non est argumentum, voluntatem esse necessario malam, aut non liberam, sed infirmam, magisque corruptam, quam sit ratio.

Quarta objectio. Potest homo diligere proximum super omnia, ita ut etiam pro illo se morti objiciat, quod sæpe faciunt parentes pro filiis; potest item infidelis diligere Deum secundum suam hæresim, aut perfidiam cognitum, ita ut pro illo etiam moriatur, quod interdum in hæreticis et Judæis cernimus: potest denique aliquis patriam suam diligere, plus quam se, quod ex historiis novimus, multos fecisse Romanorum, qui se pro patria morti certissimæ obtulerunt: cur igitur non possit homo eadem ratione diligere Deum verum super omnia, sine auxilio gratiæ?

Respondeo: facilius est diligere seipsum, aut aliam creaturam super omnia, quam Deum; tum, quia sensibilia melius cognoscuntur; unde Joannes ait, in i. epist. cap. iv: *Qui non diligit fratrem, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere* (2)?

(1) I Joan. IV, 7. — (2) I Joan. IV, 20.

Tum etiam, quia natura corrupta semper inclinatur ad se, et sua. Porro, qui pro suis hæresibus, aut pro patria moriuntur, se ipsos quærunt, id est, gloriam propriam, quarum præcipue Romani inter ethnicos, et hæretici inter infideles avidissimi semper fuerunt. Vide Augustinum in lib. de patientia cap. 16 et 17. ubi simile argumentum solvit, et inter alia sic loquitur: « Qui hæc dicunt, non intelligunt quemque iniquorum, tanto esse ad quæcumque mala toleranda duriorum, quanto in eo major est cupiditas mundi; et quemque justorum, tanto esse ad quæcumque mala perferenda fortiorum, quanto in eo est major charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis: Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. »

Adde, quod si quis vere pro patria moretur, non gloriam suam, sed patriæ salutem potissimum quærens, is, quamvis infidelis, non sine auxilio speciali id facere credendus esset. Tametsi enim mori pro patria sit opus morale, tamen est arduum, ac difficile, et ideo a natura infirma, et ad seipsam diligendam prona præstari nequaquam potest.

Quinta objectio. Potest homo peccator, sine auxilio gratiæ, velle Deum esse Deum, se autem non esse Deum, sed hominem; igitur potest sine auxilio gratiæ, Deum magis amare, quam se.

Respondeo: vult homo peccator Deum esse Deum, quia non potest prohibere, quo minus ita sit. Alioqui enim magis vult se hominem, et talem hominem esse, quam Deum, Deum esse. Atqui hoc est vitam suam Deo præferre, seque ipsum magis amare, quam Deum.

CAPUT IX.

Proponitur sententia hæreticorum de libertate arbitrii in iis, quæ pertinent ad salutem.

Sequitur quæstio postrema, si sine homo post lapsum primi hominis vere liberi arbitrii in iis rebus, quæ pertinent ad salutem, ut quamvis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam prævenientem excitatus, et a Deo adjutus, ita valeat operari, ut possit etiam non operari.